



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-565512-p0001-0

DFG



A. F. C. B. D.  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O  
DE  
**AU<sup>T</sup>C<sup>T</sup>ORIT<sup>A</sup>TE**  
**PRINCIPIS,**

Quam  
**Indultu & Authoritate Amplissimi**

J<sup>C</sup>torum Ordinis in Alma Gryphica  
Ex Jure, Civili Prudentia & Historiis concinnatam  
SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI, EXCEL-  
LENTISSIMI, CONSULTISSIMI

D<sup>N</sup>. JOHANNIS POMERESCHII

J. U. D. Pandectarumq; Professoris Ordinarii,  
Dn. Hospitis, Fautoris ac Præceptoris sui  
statem honorandi,

Publico Literatorum Examini subjicit  
In Acroaterio Majori horâ 8. Januarii

WILHELM à WARNSTÆDT,  
Nob. Megap. Auth. & Resp.



GRYPHISWALDIÆ  
Typis JACOBI JEGERI Academiæ Typographi  
M. DC. LIV. impressa.



A. D. P. A. D. F. E. Dissertatio  
DE AUCTORITATE  
PRINCIPIS.

*Antilogium.*

**URE** merito Roma-  
nos, rerum Dominos, laudat.  
*Vellejus 2. 128.* quod suo more  
semper id esse nobilissimum dux-  
rint, quod est optimum, eijs pluri-  
mum esse tribuendum, in cuius animo  
virtus insit. Intelligebat æterni-  
tati destinata gens, nihil ad con-  
servandam vel Rebus publicis in columitatem, vel  
communi hominum societati benè vivendi consuetu-  
dinem efficacius esse, quam si ita omnium institutum atque  
imbuti sint animi, ut, quemadmodum Cicero loquitur  
*Orat. 10. Philipp. cap. 10.* omnia consilia atque facta ad virtu-  
tem referant. Scilicet est una, eaq; longè pulcherrima  
virtutis gloria, ad quam assequendam nemo non sum-  
mâ ope contendit, nisi qui neglecta saniori ratione,  
brutis simillimam agit vitam.

**II.**

Quemadmodum autem quemvis mortalium virtuti studere de-  
cet, ita in primis summo isto Regum atque Principum fastigio nihil  
magis convenire videtur, quam si tantam dignitatem eximiū illorum  
virtutis atque honestatis illustret amor; Quantò enim magis illo-  
rum vita omnium patet judiciis, atque criminibus, tantò majori  
curā cavere debent, ne suis exemplis ad prava indurentur illorum ani-  
mi, quibus vitæ præstare debent innocentiam. Optimè *Vellejus 2.*

A 2

126. f.

126. s. rectè facere cives suos Princeps optimus faciendo docet, & cum sit imperio maximus. exemplo major est. Eò magis igitur pulcherri-  
mis excellere virtutibus studebit, quantò facilitius omnes suo exemplo  
vel ad optima quævis alicere potest, vel in sequiore rapere partem,  
& cum omnium in sese conversos videat animos, in tantum, ut non  
tam imperio ipsi opus sit, quam exemplo. Plin. Panegyr. c. 45. id proli-  
xè dabit operam, ut ad optima quæque assuescant.

### III.

Neq; enim flagitiosissimi vitare poterit notam, qui fortunæ suæ  
magnitudinem in peccandi convertit licentiam, quippè cui eò minus  
licet, quò magis ipsius consilia & actiones omniū expositæ sunt cen-  
suræ, quod eleganter exprimit apud Salust. Cæsar in Cat. cap. 51. alia,  
inquit, alia licentia est: qui demisi in obscuro vitam agunt, si quid ira-  
cundiâ delinquere, pauci sciunt, fama atque fortuna eorum pures sunt;  
Qui magno imperio prædicti, in excelsa ætatem agunt, eorum facta cun-  
cti mortales novère, ita in maxima fortuna minima licentia est, & tan-  
tum abest, ut remissius agere possit Princeps, ut potius ubique virtu-  
tis exprimere debeat vestigia. Adde Lips. 2. Polit. 7. 8. & seqq. Schon-  
born. 2. 22. Arnisi. 1. 9. Vell. 2. 126. s. ibiꝝ Boëcleri notas, aliosq;

### IV.

Sed cum omnes meritò in Principe requirantur virtutes, nec  
quicquam magis conveniat tanto fastigio, quam si non minus virtu-  
tum gloriâ atque eminentiâ honorum à communi hominum exem-  
ptus sit consortio, non ultimum in his locum obtinere videtur.  
Auctoritas, de qua cum in præsentiarum, DEO Benigno juvan-  
te (in cuius Nomine ad omnes actiones consiliaq; progredimur l. 2.  
C. ad Præf. Prætor. African.) simus acturi, nihil nobis optatius po-  
terit accidere, quam si Viris magnis hos nostros more Academico  
susceptos conatus non displicere cognoverimus, quos ut quanta re-  
verentia illi summorum Principum colendam ducunt Majestatem,  
tantam nobis, dum sanctam horum asserere conamur Auctoritatem,  
exhibere dignentur benevolentiam, & æquum huc afferre animum,  
pluribus rogamus.

### V.

Antequam autem ad ipsam Auctoritatis explicationem ac-  
cedamus, nomen nonnihil examinandum videtur, multum enim  
nonnnne

nonnunquam juvat, inquit Cic. 1. Offic. cap. 7. studiosè exquirere, unde vocabula sint deducta, (conjunge Quint. 1. Instit. Orat. c. 6. pluribus). Est igitur Auctoritas ab augere, quod est amplificare, addere, exaggerare, cumulare, &c. hinc auctus est incrementum, si- cuti dicitur apud Vellej. 2. 40. 4. ejus fastigium tantis auctibus fortuna extulit, & 2. 129. 5. Bellum Africum quotidiano auctu majus, ejus auspiciis sepultum est.

## V I.

Inde Auctoritas nihil aliud est quam aucta quedam eminen-  
tia, existimatio, fastigium, gravitas, ita n. Vellej. 2. 7. 1. Auctoritati ducis  
proximus, id est, fastigio, & l. 18. 2. Nemo aut dum vixit auctoritate, aut  
post mortem memoriam dignus. Tacit. 14. Annal 43. 2. Auctoritas se-  
natus crebris contradictionibus destruitur. Idem egregie opponit po-  
testati de morib. Germ. II. 6. Auctoritate magis suadendi, quam su-  
bendi potestate Reges Germanorum audiuntur. Sic in Timotheo tan-  
ta dicitur fuisse auctoritas apud Nepot. in ejus vita 3. 2. ut magna  
fuerit spes per eum amissa posse recuperari. De gloria facti alicujus  
acciendus est locus, apud Vellej. 2. 76. Auctoritas minor secuta est  
factum, id est, decepsit aliquid gloriae, facti ita 2. 91. 2. Auctoritate pu-  
blicâ oppressi sunt pro imperio consilioq; publico, explicante ita Cla.  
Bœclero. Apud JCtos quoque non una vocis est significatio. in prin-  
cip. Inst. de Auctoritate tut. nihil aliud intelligitur per Auctoritatem,  
quam approbatio, cum tutor se hoc probare dicit, quod agitur, uti  
videre est ex l. 3. ff. de Auctoritate tut. Hinc auctorari est auctorem  
esse, seu auctoritatem suam interponere. l. 4. ff. cod. in l. 43. ff. de pi-  
gnorat. action. sumitur pro titulo seu jure, quo quid possidemus, in  
l. ult. ff. de aqu. & aqu. pluv. arcenda pro robore seu firmitate, quam  
ii, qui juri dicundo præsunt, tueri dicuntur ductus aquæ, quibus Au-  
ctoritatem vetustas dat, id est, in quibus vetustas pro titulo valeat.

## V II.

Sed utut varia vocis sit significatio, nobis missis cæteris nihil ali-  
ud est, quam eminentia virtutis, quæ imperantibus conciliat reveren-  
tiam. Græcis dicitur σεμνότης, quæ est gravitas venerationis ac  
cultus excitatrix; quæ à Latinis quoque Majestatu vocabulo expri-  
mi solet; veluti cum Livius 25. dicit Majestatem sine viribus parum  
esse tutam, aut 29. 9. milites sine respectu Majestatis in Legatum fecisse

A 3. impe-

impetum. Sic Tacit. i. Annal. 47. 3. Majestati à longinquō plus reverentie. Curt. 8. 5. 11. Majestas imperii salutis est tutela. Et Vellej. 2. 10. 3. de L. Pauli filio: Nihil illum ex paterna Majestate retinuisse dicit, præter speciem nominis. Idem 2. 124. 1. Tiberii tantam fuisse Majestatem scribit, ut nec bonis, neque contra malos opus foret armis. Quibus profectò locis hisq; similibus per Majestatem nihil aliud est intelligendum, quam ea, de qua loquimur, Auctoritas, quanquam non nesciamus, etiam sibi invicem nonnunquam opponi, veluti in eo apud Vellej. 2. 126. 2. Accesit Magistratibus Auctoritas, senatu Majestas, Judiciis Gravitas. Sed hæc mihi non eam introducunt differentiam, ( nisi plane accuratè loqui & distingvere hæc placeat) quam facit Lips. 2. Polit. cap. 16. ubi privatorum dicit esse auctoritatem, Principum verò Majestatem: constat enim Majestatis verbo bonos auctores uti pro Auctoritate, & Auctoratis pro majestate, ita enim & Prætori Majestas tribuitur l. pen. ff. de Just. & Jur. l. 9. de J. C. dict. neque minus, quæ in l. 91. ff. de hered. instit. Principalis Majestas dicitur, l. 50. §. 1. de petit. hered. Principalis Auctoritas appellatur. Unde nequaquam hic eam vocem accipi volumus de summo jure ac vi imperii, de quo loquuntur nostri seculi scriptores, quoties de Majestate ( id est, de summa in Republica potestate, quæ neminem agnoscit superiorem ) instituunt disquisitionem. Germanis dicitur Königliche Hoheit / Ansehen / Reputation, Würde / Ehre. Vid. R. A. Augspurg. Anno 1551. §. So haben Wir / ib. Unser und des Heil. Reichs Reputation, Autorität und Hoheit. Et R. A. de Anno 1567. zu Regenspurg. §. Wann es nun ibid. Verhädigung Käyserl. und des Reichs so hoch verlezten Ehr und Hochheit. Et §. So halten Wir ib. zu Erhaltung Unser und des Heil. Reichs Autorität / Hochheit / Würd und Ehren. Quod secundum Germanæ lingvæ indolem ( nescio an amissâ proprietate Latinæ ) expressissime videtur Vellej. 2. 129. 4. Pace Majestatis ejus dixerim rō κυριότατον principalis fastigii solenniter notans.

## I I X.

Per Principem autem ( tametsi & hoc vocabulum suas patitur ἀπονομαῖς, quæ videri possunt apud Reinking. l. 1. Cl. 4. cap. 8. n. 1. 2. 3. &c. Bœcl. ad Ann. Tacit. 1. 9. Limn. Jur. publ. 17. 4. aliq; ) Nos hic neminem alium intelligimus, nisi de quo loquitur JCtus in l. 32. fami-

famigeratissimā LL. scilicet solutum, & supremā in Republica potestate, & nutu suo omnia gubernantem. Unde sive ipsum Principem appellare libeat, sive Regem, sive Cæsarem, sive Imperatorem, sive alio vocabulo, quod οὐνωνίας nomine veniat, perinde erit; semper enim intelligitur is, in quo summa Reipublicæ vel Regni residet potestas.

### IX.

Hinc Auctoratem ex mente Lipsii 4. Polit. cap. 9. dicimus impressam subditū sive & exteris reverentem de Rege ejusq; statu opinionem. Seu ut idem alibi l. 2. cap. 16. Reverendam quandam amplitudinem ob meritum virtutis, aut rerum affinium rotundā verborum perfectione, quatenus in re tali licet, naturam ejus complectens. Neque aliena prorsus ab his est Cl. Bœcleri ex discurs. 4. ad Plin. Panegyr. nisi quod pluribus omnia, quæ ad explicationem rei videbantur necessaria, comprehendit. Est, inquit, Auctoritas reverentia virtutis, meritorum, factorumq; existimatione parta, aut religione quādam conciliata, offensam rerum dignitatem cum efficacia velut interpretans.

### X.

Hæc, quæ & illibatam Principi asserit sanctitatem, & verecundo rubore intra suos coērcet cancellos subditos, ex duobus manat quasi fontibus, Admiratione & Metu. Lips. Polit. 4. cap. 9. Schonborn. Polit. 2. cap. 36.

### XI.

Quemadmodum enim Principi necessarias esse diximus virtutes, non solum ut suo exemplo ad optima quæque invitet subditos; sed etiam ut hinc nascituram sibi acquirat, quā omnia pulcherrimo copulantur vinculo, dignitatem; ita si iis quām maximè sit instructus, eiusq; in rebus gerendis ubique exprimat vestigia nascitur hinc inde in animis suorum reverenda illa, cultus atque auctoritatis excitatrix, amplitudo & admiratio: Virtutemim, en inquit Cicer. i. Tusc. Quæst. cap. 38. necessariò gloria, etiamsi tu id non agas, consequitur, seu ut alibi 2. Offic. 9. & 10. pluribus. In quibus plurimas inesse putamus virtutes, eas à natura ipsa diligere (veluti postea, sufficere & admirari cogimur.) Est enim hæc interna illa virtutis vis atque efficacia, quæ nescio quomodo nos ad se se trahit, efficitq; ut ita quemvis susciamus,

ciamus, prout illum excellenti quādam & singulari ornatum videmus virtute; Nam uti magnificam apud tuos vel etiam exteris excites opinionem, & auctoritate valeas quām plurimum, à virtute profici- scatur oportet; ea enim, cum admodum in Metello summo Imperatore esset illustris, effecit, ut ipse hostis Jugurtha nihil illi infectum crederet, quippe qui, dicente Salust. in Jugurth. cap. 76. omnia armazela, loca, tempora, denique naturam ipsam ceteris imperantem in- dustriā vicerat. Sic Marius cum ad virtutem illius fortunae accede- ret, benignitas indies major & clarior haberet cœpit. à militibus ad cœ- lum ferri: Numidæ magis illum quām mortalem timebant, omnesq; socii atque hostes illi aut mentem divinam esse credebant, aut Deorum nutu cuncta portendi. Id. c. 92. In Iphicrate etiam tantam fuisse ani- mi & corporis magnitudinem, imperatoriamq; formam narrat Nepos in ipsius vita 3. 1. ut ipso aspectu cuiusvis injiceret admirationem sui. A- lexander nullum Regem magis admiratus est, quām Cyrum & Semi- ramin, quod in iis & magnitudinem animi, & claritatem rerum lon- gè emicuisse crederet. Curt. 7. 6. 20. Sic ipse Alexander divinis in- genii dotibus, & artibus animi tantam sibi apud suos conciliavit ve- nerationem, ut meritò dubitet Curt. 3. 6. 17. magis admirationi ipsius dediti fuerint, vel charitate flagraverint. Usque adeò iste vir- tutum concursus exspectationē nobis conciliat quām pulcherrimam, efficitq; ut ita quām maximam meruisse videamus admirationem, prout illa nobis videtur inesse.

## XII.

Quemadmodum autem Principem multæ virtutes faciunt admi- randum, ita statim admirationem sequitur Metus non servilis quidem, qualem Æaco aut Minoi tribui posse putat Cie. Offic. 1. 28. Oderint dum metuant, aut Natis sepulchrum ipse est parens: malus enim diu- turnitatis custos est metus. Contra Benevolentia fidelis est vel ad per- petuitatem, nam

Quem metuant, oderunt,  
Quem quisque odit, periisse expertit,  
inquit Ennius apud Cic. Offic. 2. 7. videatur totus locus: cum quo convenit Oratio Galgaci Britannorum Ducis apud Tacit. in Agric. 32. 3. Metus, & terror infirma vincula charitatu, quæ ubi removeru- qui timere desierint, odisse incipient. Sed hujusmodi metum procul  
hic

hic procul esse jubeimus, quippe qui Magistris dominationis, & Tyrannorum artibus eorumq; scholis debetur: nos verecundum aliquem timorem desideramus, qui ex reverentia erga superiorem oritur, & contemptum regnum eversorem impedit atque tollit. Recedente enim metu, erumpit voluntas. Vellej. 2. 62. Neque pati debet prudens Princeps habescere, uti inquit Cicer. Orat. Catil. 1. 2. aciem autoritatis suæ: cum ea sublata tolli necesse sit quæcumque ista continentur. Hinc enim nata intelligenda sunt, quæ de metu vehementius præcipiunt authores, quale est illud Plinii 1. Epist. 5. Timeri à pluribus plerumq; fortius amore est. Aut Lepidi 1. hist. apud Salust. in sua Orat. Habendus metus est, aut faciendus, vel Cic. ad Brut. Epist. 1. Salutaris rigor vincit inanem speciem Clementiae. De metu isti loquuntur tali scilicet, qui remoto procul contemptu Auctoritatem, qua vel sola regnis atque Rebus publicis sua constat incolumenta, addit, vel conciliat. Ita enim Alexander Magnus terrore nominis multos subegit populos, ut videre est apud Curtium passim; Dollabella solo terrore nominis Romani solvit Thubusci obsidionem Tacit. 4. Anal. 4. 2. Corbulus recenti terrore uti voluit, ut metum hostium intenderet. Idem 14. Annal. 23. 1. Talis quoque Julianus Imperator describitur apud Ammian. Marcellin. 1. 22. & in universum historiæ loquuntur quam sit salutare medium, omnia verecundo metu contineare, ita ut sola Principis auctoritas id felicius possit praestare, quod raro acerbitas legum.

### XIII.

Cæterum cum non minus pulchrum sit apud Exteros plurimum auctoritate valere, quam suis ceterum pariter, uti Curt. loqui amat, 3. 6. 20. & venerandum esse. Hinc ordinis gratia Auctoritatem aliam domesticam facimus, aliam externam. illam venerabilem in subditorum natam animis dicimus opinionem; hanc gloriosam & nonnunquam extimescendam finitimorum, fœderatorum, hostiumve existimationem, ad quam acquirendam, vel partam conservandam imprimit facere videtur, ut non solum omnes Reipublicæ, regnivè ordinis, quam rectissimè sint adornati, & quam prudentissimè gubernantur, sed etiam ipsum imperium potentia & munimentis sit corroboratum, ita ut exteris ejus incolumentem subvertendi omnis adimatur occasio; in primis si accedat prudens Principis studium, & morum

B

in vita

in vita sanctitas, ita in officio continentis singulos, ut nusquam aliquid metuendum sit mali. Quæ omnia triplici absolvuntur ambitu, 1. Formæ administrationis imperii, 2. Ejus potentia, & 3. Ipsius momentum Principis, vel si quæ his sint affinia. De quibus cum dicendum sit, satis intelligo, quam angustis omnia includere cancellis dissertationis jubeat modus, adeò ut non tam explicare nobilissimam materiam licet, quam attingere.

#### XIV.

Primum igitur omnium cum ad augendam dignitatem, tum Armandum robur imperii imprimis facere videtur, si Respublica per universas ejus partes ita constituta sit, ut omnia quam pulcherrime cohærent, & nusquam aliquid metuendum sit mali. Quemadmodum enim prudens architectus ita maximè suam se ostendisse artem arbitratur, si certis omnia nitantur fundamentis; Ita & in regnis rebusque publicis accidit, adeò ut, sicubi ista evertantur, corruat necesse sit, quicquid fuerit superstructum. Quod eum adverteret sapientissimus Spartanorum Legislator, neque aliter suæ Respublicæ constare posse intelligeret tranquillitatem, quam si omnia custodientur quam solertissimè, nihil dubitavit vel morte & perpetuo exilio iis, quæ prudentissimè ab ipso constituta erant, addere perpetuitatem. vid. & seqq. Just. 3. 2. Et hoc pertinet, quod Philosophus in suis de Civi- li Prudentia libris, imprimis verò lib. V. cap. IV. tam studiosè caven- dum suadet τὸ μηχάνημα, ne, si semel inveniant viam, uno impetu tota irrumptant mala, & cum illis ipsa Respublicæ pernicies, adeò, ut ad eam impediendam, repellandam vè nulla vis sufficiet, neque consilium: serpunt enim paulatim ista mala, quæ si semel admittantur, postea, ubi consistant, non reperiunt: Sic Roma tametsi virtute brevi ad eam ascenderet dignitatem, uti gentium, terrarumque Deæ me- ruerit nomen, post ubi contagio quasi pestilentia invaserit, subiter im- mutata, & imperium ex justissimo atque optime, crudele intoleran- dumque factum, uti egregie observat Salust. Cat: c. 6. 7. & seqq. Adeò verum est vulgatum illud, quod principiis obstandum suaderet, ne si primum labefactare coeperint præsentem Respublicæ statum, postea frustra quæramus remedia.

#### XV.

Ut autem sua Respublicæ conservetur tranquillitas, & sub impe-  
xiii

rii legibus omnes contineantur ordines imprimis necessaria est Seve-  
ritas Principis, ita continentis singulos in officio, ut omnibus quam  
optimè consulatur; tametsi enim non minus autoritatis addat Prin-  
cipi facilitas, adeò ut nihil ad animos subditorum reddendos sibi ob-  
noxios sit efficacius, cuius propterea studiosissimus fuit Alexander,  
cum saepius suis se levi ac parabili cultu esse contentum ostendit. Curt. 3.  
9. 2. cum notante eodem 3. 6. 19. quæ leviora haberi solent, plerumq; gra-  
viora vulgo sint: exercitatio corporis inter ipsos, cultus, habitusq; os  
paululum à privato abhorrens; quibus ille vel ingenii dotibus, vel ar-  
tibus animi, ut pariter charus ac venerandus esset, efficit, videatur  
Freinsheim. ad hunc locum. Sic Marius apud Sallust. in Jugurth.  
**Boni Imperatoris.** & strenui militi officia simul est executus, quod ex-  
æquatus Imperatori cum militibus labos volentibus est, vel ut idem a-  
libi de se pollicetur c. 85. Neque illos arctè colam, me opulenter, ne-  
que gloriam meam illorum laborem faciam. Sic de M. Valerio Corvo  
Livius. 7. 33. Non alias militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos  
militum haud gravatè munia obeundo, in ludo præterea militari, quum  
velocitatis viriumq; inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis,  
vincere ac vinci vultu eodem, nec quenquam aspernari parem, qui se  
offerret: Itaque (ut statim subjungit) universus exercitus incredibilis  
alacritate adhortationem prosecutus Ducus, castris egreditur. Intan-  
tum hi ad devincendos suorum animos humanitati studuerunt. Pro-  
bè tamen hic spectandum, ne pro charitate populari in contemptum  
incidamus, sed ita res gerenda, ut faciles quidem nos præbeamus,  
contemni tamen nos non patiamur, Quod olim mandatis præsidum  
provincialium adjectū monet Calistrat⁹, cum ex conversatione æquali  
contemptio dignitatis nascatur I. 19 ff. d. offic. præf. Pariter sacerum su-  
um hoc nomine commendat Tacit. Agric. 9. 4. quod illi, nec facilitas,  
auctoritatem, nec severitas diminuerit amorem; Istuc enim opus  
est, cum nihil magis alienet animos hominum, quam morum asperi-  
tas & superbia, cum & ipsum Alexandrum, qui tamen hujus beneficio  
omnium sibi conciliaverat amorem, postea immortalitatem affectan-  
tem contumaciis, quam aut ipsis expediebat, aut Regi, sui aversati  
fuerint. Curt. 4. 7. 31. Hac, ut caveatur regnum, ut supra ex-  
positum, evensor, contemptus. Optimè igitur facere videntur, qui  
humanitate temperant severitatem, in equo laborant, ut, quod pri-

mo fecerat Alexander, cari pariter sint ac venerandi, adi Lips. 2.  
Polit 16. & 4. 12. Schonb. 2. 30. & 31. &c.

### XVI.

Deinde ut conservetur praesens status, juvat singulari cum cura  
omnia custodire quam diligentissime; in primis vero cavendum, ne  
nos decipiat inanis novandi libido, cum, ut egregie dissentit Machi-  
avell. 1. Discurs. c. 25. & Lips. Polit. 4. 9. satius sit presentem Rei-  
publicae statum tam si malum tolerare; quam mutare, magis enim  
uti loquitur Quintil. 1. Inst. c. 1. pertinaciter haerent, quae deteriora-  
sunt; nam bona faciliter mutantur in pejus, raro autem in bonum ver-  
tuntur vicia. Rara ergo est felicitas mutatio in melius, & semper  
trahit aliquid incommodi, in tantum, ut nihil dubitet Sallust. in Ju-  
gurth. c. 3. asserere, omnes rerum publicarum mutationes cædem, fu-  
gam, aliaque hostilia portendere. Imprimis legibus in Republica la-  
tis sua conservanda est sanctitas, non enim hujusmodi mutationum  
exempla ibi consistunt, unde cœperunt, & quamvis in tenuem recepta-  
ramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt, & ubi semel recte  
deerratum est, in præcepis pervenitur. Vellei. 2. 3. 4. Conjun-  
ge egregiam Catonis orationem de lege Oppia non abroganda apud Livi-  
um 34. 1. 2. &c. Incidunt tamen saepius hujusmodi necessitates, ut  
non semper haec sint vera, scilicet cum insignis quedam utilitas aut  
inevitabile damnum eam nobis imponat necessitatem, ut recedamus  
ab eo jure, quod diu æquum risum est l. 2. ff. de Const. Princip. satius  
enim tum legi vim inferre, quam Republicæ, exemplo Epaminon-  
dæ apud Nepot. in ipsius vita c. 7. & 8. qui in perniacem civitatis con-  
ferre noluit legem, quam Republicæ conservadæ causa latam videbat.  
videatur Oratio L. Valer apud Livium 34. 5. & seqq. Observandum  
tamen hic, ne uno omnia fiant impetu, sed paulatim, & si fieri potest  
nemine intelligente, exemplo Augusti apud Tacit. Ann. 1. 2. 2. qui ut  
dominatum sibi assereret, insurgere paulatim cœpit, munia, Sena-  
tus, Magistratum, Legum in se trahere. Quod commodissime fie-  
ri poterit, si semper præteriti status retineatur umbra quedam.  
Conjuge Lips. Polit. 4. 9. Schonborn. 3. 9. Arist. 5. Polit. c. II. Machi-  
avell. 1. discurs. c. 25. Aristot. 2. Polit. 8.

### XVII.

Cæterum ut Auctoritatem sibi addat Princeps opus in primis est,  
ut

ut suam sibi afferat potestatem, eamq; ita exserat, ut omnes intelligant,  
se solum esse rerum arbitrum jure ac nomine regio. Tacit Annal 2. 73.  
4. Turpe enim est & ignominiosum putandum, si ex aliorum pendeat  
nutu; Magna equidem negotia magnis adjutoribus egent, adeo ut  
semper eminentes viri magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam  
suam utantur. Vellei. 2. 127. i. 2. Neque vero ullus Princeps absque  
consiliariis esse poterit vel debet; Illud tamen cavendum, ne illis o-  
mnia debeat, & horum arbitrio omnia gerantur, solo nomine reli-  
cto Principi. Non est haec, ad masculam illam, de qua loquimur,  
Auctoritatem via, sed oportet ut ad prudenter amicorum monita  
ipsius Principis accedat magnitudo, quæ ex dubiis optima possit eli-  
gere, & aberrantes revocare ac respondere nonnunquam: Et ego  
pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem. Nunc Alexander,  
de paupertate securus sum, et me non mercatorem memini esse, sed  
Regem. Curi. 4. II. 14. Et opus hic nonnunquam est Sallustio quo-  
piam, qui, ne vim Principatus resolvat moneat, cuncta ad senatum  
revocando. Tacit. Annal. I. 6. 7. in primis cum hac ratione omnia  
ad se paulatim trahere possint callidi ministri, eoque procedere mag-  
nitudinis, ut terribiles immineant, quod studiosè cavendum. Neque  
enim majus Regibus ac Principibus metuendum est malum, quam  
ab his, qui proximi à principali fastigio, Unde neminem in tantum  
honoribus esse augendum suadet Machiavell. lib. I. Disc. c. 50. & si  
ut dignitatem ac potestatem acceptam possit convertere in perniciem  
regni vel Republicæ, quod facile fieri potest, si uni omnia deferan-  
tur, adeo ut subditis saepius magis hunc quam ipsum venerentur Prin-  
cipem, quod sane non tolerandum, cum, ut prudenter Sallustius  
apud Tacit. I. 6. 7 (quamvis ille pro afferendo dominatu,) ea sit condi-  
cio imperandi, ut non aliter constet ratio, quam si uni reddatur.

### XVII.

Porro inter ea, quæ Majestati Imperantium juvandæ faciunt,  
Potentia est imperii, hoc est ad sua conservanda, & alia invadenda,  
ubi jus posuit, idonea facultas. Evidem ad tranquillitatem imperii  
conservandam omnino necessaria est vicinorum exterorumq; magni-  
fica de nostro statu existimatio, ne ad turbandas omnia vel levissima  
sufficere possit occasio. Hinc Philosophus ita semper instructam  
esse vult medius Republicam, quæ terrere possint exterros, quo mi-

mus hostili eam subvertete aggrediantur conatu. Imperium igitur  
nec nimis exile esse debet, ac infirmum, ne facile opprimatur, nec  
nimis amplum, ne mole laboret sua, cum difficultus, ut egregie Vell.  
1. 17. 6. in perfecto mora sit, & naturaliter, quod procedere non pot-  
est, recedat. vid. egregiam Cl. Bœcleri dissert. ad hunc locum, Sene-  
cam. Suasor. i. Tacit. i. Annal. ii. ubi consilium Augusti, de coercendo  
intraterminos imperio. Est igitur necessaria Potentia imperio, cum,  
ut Liveus 2. 55. parum rata maiestas sine viribus sit. vid. Aristotel. F.  
Polit. c. 4.

## XIX.

Illa autem variis constat rationibus, & eam conciliant cum  
(1.) Opes ac divitiae, quæ sunt nervi rerum gerendarum, cum ut  
Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria, sis  
Moderatori Reipublicæ beata civium vita proposita sit, ut opibus firmae,  
opin locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Cic. s. d. Republ. e.  
10. Arist. 6. Polit. c. 5. (2.) tum arma & peritia bellica: Imperatoris  
enim maiestas ut legibus armata; ita armis decorata esse debet. prins.  
præem. Inst. Neque ignavia magnè continentur imperia, sed virorum,  
armorumque faciendum certamen. Tacit. Annal. 15. i. 5. Utroque  
Pompejum orbi penè universo mirandum fecit, utraque Lucullum  
extulit magnifice, utraque utrumque privatum Principis Auctoritate  
honoravit. videat. Schonborn. 6. Politic. Arist 2. c. 7. (3.) Consilia  
quoque salutaria, ut omnia fiant quam prudentissime, & deliberato  
animo, Parva enim forū sunt arma, nisi & consilium domi Cic. i. Off.  
c. 22. Oraculum est illud ap. Tacit. 13. ann. 6, 3. pleraque in summa  
fortuna auspicii & consilii, quam tela & manibus geri. vid Lips. 3.  
22. & seqq. (4.) Foedera quoque huc faciunt, ea enim si cum poten-  
tissimis quibusque incantur, multum roboris Reipublicæ, multum  
Auctoritatis afferunt Principi; Ita enim potentissimi Reges vehe-  
menter Romanorum amicitiam & foedus affectabant, adeò ut cives  
Romanum fieri honori sibi ducerent. Erat quippè tanta hujus Rei-  
publicæ amplitudo, ut facile ejus Auctoritas egeret, quorum absq;  
hac dubia erat conditio. Iterum Tacitus Hybenum Albanumque  
& calios Reges magnitudine Romana adversus externa imperia protectos  
refert s. an. 5. 3. Cavendum tamen hic in primis, ne, quod & ab his  
sepius factum, inani amicitia nomine fædissimum servitutis nobis  
impona-

imponamus jugum. vid. Schonborn. 4. c. 35. (5.) Fortuna denique  
id est aspirans aliqua à DEO, circa actiones omnes vel plerasque,  
felicitas, ut in tota ratione mortalium Sola, juxta Plin. ita imprimis  
hic paginam utramque facit. Curt. de Alexandro 3. 6. 18. jam pri-  
mum nihil nisi divina ope aggredi videbatur. Nam cum eßet præsto  
ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat. De P. Romano Flo-  
rus in Prologo: tot laboribus periculisque jactatus est, ut ad constituendū  
eius imperium contenduisse Virtus & Fortuna videretur. Itaque  
Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperato-  
ribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sa-  
pius imperia mandata, atque exercitus esse commissos testatur Cie.  
pro lege Manil. c. 16. Sic fortunam summi viri Pompei, fastigium  
tantus extulisse auctibus asserit Vell. 2. 40. 4. ut quorū partes orbis ter-  
rārum sunt, totidem ficeret monumenta victoriae suæ. Sic de eodem  
2. 37. 4. Tigranes cum filio, neminem alium neque Romanum, neque  
ullius gentis virum futurum fuisse, cuius se fides commisurum foret,  
quam Cn. Pompejum, proinde omnem sibi vel adversam vel secundam,  
cuius autor ille eßet, fortunam tolerabilem futuram. Non esse turpo  
ab eo vinci, quem vincere nefas; neque et in honeste aliquem submitti,  
quem fortuna super omnes extulisset. Sic cum sententia singulari de  
propria Cæsaris fortuna dicit quod SUA sit 2. 55. I. sequitur fortu-  
nam SUAM Cæsar, & v. 3. fortuna SUA comitatur Cæsarem in Hispaniam,  
quasi ita sua sit, ut non possit alia uti. De Mario Sall. Ju-  
gurth. 92. Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo  
patravit, magnus & clarus antea, major atque clarior haberi capie,  
omnia bene consulta in virtutem trahebantur, Milites ad cælum fer-  
re, Numidæ magis quam mortalem timere, postremo omnes socii atq[ue]  
hostes credere illi aut mentem divinam eße, aut Deorum nuru cuncte  
pertendi, quanquam ista longè amplior habenda sit, & firmissimis  
nitatur fundamentis, si cum fortuna conjuncta sit virtus, ita ut quic-  
quid acciderit, merito evenisse videatur, quemadmodum de eodem  
Sallust Jugurth. c. 95. Huic felicissimo omnium ante civilem victo-  
riam nunquam super industriam fortuna suis, multique dubitaveret  
fortior, an felicior eßet.

## X. X.

Ut igitur felicitatis verissima sit gloriâ, virtus accedit oportet.

manus

nam eum ista omnia quam maximè Auctoritati augendæ faciant, ne-  
scio tamen quomodo maximum pondus ipsis, uti antea quoque dice-  
re incepimus, virtutibus inesse videatur, moribusque Principis, qui  
quò sunt insigniores, eò magis alliciunt animos hominum ad aman-  
dum, & arctissimo nobis conjungunt vinculo, in tantum, ut & hic  
locum habeat, illud Cic. & Tuscul. quæst. c. 10. nihil esse in vita sine  
virtute laudabile. Et Senecæ 4. d. benef. 77. in omnium animos vir-  
tutes lumen suum immittere. Illas Doctores vel *internas* faciunt,  
vel *externas*. Internæ animi potissimum sunt, veluti erga DEUM  
Pietas, (inde enim quantum imprimis autoritatis accedat Principi ex-  
primit Philosophus 5. politic. 11. exemploq; is ipse in cuius aula vive-  
bat Philippus fuit. vid. Justin lib 8. c. 2. ) in rebus gerendis Prudentia,  
seu providentia (ex qua Regi sapientissimo in ipsis regni auspiciis in-  
genitam animis omnium venerationem sacræ literæ testantur 1.  
Reg. 3. v. ult. ) aliaque de quibus singulis disquirere, instituti non ad-  
mittit ratio, cum & ubivis ista sint obvia apud eos, qui systemata  
scripsierunt Politica, ex quibus honoris gratia Lipsium nominasse  
sufficiat, qui more suo elegantissimè de iis differit lib. 1. & 2. & pas-  
sum alibi.

## XXI.

Ad externa spectant, ut omnes actiones Principis referantur ad  
virtutem, & decus atque laudem afferant, contra caveatur, quā  
nulla capitalior est pestis, odiosa luxuries & fœda libido. Princeps  
enim quemadmodum honoris atque dignitatis fastigio ante cæteros  
omnes eminet, ita nihil ipso dignius, quam si tanto fastigio morum,  
actionumque respondeat probitas & magnitudo; hinc semper in re-  
bus magnis illum exerceri oportet, cum nihil ipsum deceat, nisi quod  
sit excelsum. & cum argumentum morum ex minimis quoque capere li-  
ceat. Seneca epist. 52. tantò magis hujus inculpati sunto, quo major  
est fortuna, quæ cum omnium in ipsum convertat oculos atque men-  
tes, illud studebit, ut quod de Alexandro Curt. 3. 6. 18. nihil sine di-  
mâ ope aggredi videatur. & instar DEI sit, Tacit. Annal. 3. 46. 3.  
In primis verò illud sedulò aget, ut quam proximè accedat ad mores  
populi, quippe qui nihil magis amant, quam si moris patrii observan-  
tissimum videant Principem, contra contemni se putant, si peregrini  
introducantur. Dario certè ominosum fuit quod in principio imperii  
vagi-

vaginam acinacū Persicam mutari iubet in eam formam, quā Græci  
uerentur, protinus enim Chaldei interpretati, imperium Persarum  
ad eos transitum, quorum arma erat imitatus. Curt. 3. 3. 6. Quor-  
sum etiam respexit idem author 6. 6. 4. ubi de Alexandro loquitur.  
Vestem Persicam sumpfit ne omen quidem veritus, quod à viatoris insi-  
gnibus in depicti transiret habitum vid. Comment. Freinsheim. hic.  
Ita & ominosum pariter est, & quam plurimum trahit invidiae, uti  
egregiè quoque notat Polybius. 9. 10. Quoties alius, relictis populi  
vincentis institutis, eorum, qui vincuntur, mores æmulatur, sine  
controversia dici potest, delictum hic versari ejus, qui ita faciat:  
quum præsertim simul illa subeunda sit, quæ talia solet comitari, in  
vidia, res una omnium maximè potentatu præditis fugienda. Spe-  
stat hoc illustris planè loc⁹ de eodem Alexander apud scriptorem su-  
um lib 5. Milites ejus palam aversati sunt, (inquit) rotisq; castris  
unus omnium sensus ac sermo fuit, plus amissum victoria, quā  
bello esse quassitum, tum maximè vinci ipsos dediq; alienis moribus &  
externis. Pudere jam sui Regem vicius quām viatoribus similiorem, ex  
Macedonia Imperatore Darii Satrapen factum.

## XXII.

Ad Majestatem Principis augendam, & conciliandam venerati-  
onem non minimum quoque habent momenti Forma vultus habitus-  
que. Quamquam enim verum quod Cic. 3. de finib. c. 23. ait, Animi line-  
amenta pulchriora esse quām corporis & morem vulgi esse Imperato-  
res forma & decore corporis comparare Tacit. scribat 1. hist 7. con-  
fer. Curt. lib. 5. tamen & hæc Principi plurimum admirationis ad-  
dit, & eximium DEI donum vocatur ab Augustino 15. de Civit. DEI  
c. 22. in primis si ad eximiam formam virtutis accedat decor. Ipse  
Plato de Repub. l. 7. Custodes Reipub. exigunt non modò constantissimos,  
fortissimosque, verum & quantum fieri potest speciosissimos. Quem-  
admodum in Macrochir Rege Persarum commendat Nepos 21. l. 4.  
quod præcipuum laudem habuerit amplissimæ pulcherrimæque corporis  
formæ, quam incredibili ornaverit virtute belli. Idem de Iphicrate  
in ipsius vita 3. l. Fuit animo magno, & corpore, imperatoriæque for-  
mæ, ut cuivis injiceret admirationem sui. Sic de Trajano Plinius in  
suo Panegyr. 4. 7. Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor  
sapitis, jam dignitas oris nonne longelataeque Principem ostenta vere

C

Traje-

Trajanum & Ita Germanus ille visu & auditu juxta venerabilis fuit Tac.  
2. an. 1. 72. Augustus vero vultu etiam & aspectu legiones extenuit Id. 1.  
an. 42. De Cn. Pompejo Velleius 2. 29. 2. Fuit forma excellens non  
ea, quæ flos commendatur ætatis, sed ex dignitate constanti, quæ  
fortunam quoque ejus ad ultimum vitæ comitata est diem. Ita ipsa  
corporis dona non omnino videntur aspernanda, cum externa sint  
Auctoritatis præsidia, & quanquam alia sint, quæ apud vulgus, quip-  
pè quod externis vehementer capit, Auctoritatem intendant, alia  
quæ prudentum mereatur venerationem, non tamen pro�us frustra  
esse videtur, quod dici solet: pulchras animas pulchra amare domi-  
cilia. Vide Latin. pacat. in paneg. Thedof. & Eymen. in Pan. Constan-

### XXII.

Habitatio quoque illustris est, quæ Majestatem Principis ostendat. Sit illa in loco illustri, & magnifice exornata, non quidem  
omni luxu & opulentia instruta, ut tabernaculum Darii notat Curt.  
3. II. 23. splendissima tamen, ita ut digna videatur quæ tantam summi  
Principis excipiat fortunam. Hinc à sacrorum Palatiorum tam exstruc-  
ctione quam habitatione abarcant jura privatos, cum, ut loquuntur  
Imperatores I. 17. C. de operib. publ. imperio magna ab universis se-  
creta debeantur, ut hi tantum habeant locum habitandi, quos legitim-  
mus Majestatis nostræ usus, & Republicæ disciplina delegit addel. 14.  
C. de offic. rector. Provinc. Arguunt scilicet Majestatem monarchi-  
cam palatia, & suo quasi jure debentur Principibus, huc enim perti-  
nec illa Macedonum consuetudo, cuius meminit Curt. 3. II. 23. ubi  
milites tabernaculum Regis solum reliquerunt intactum, ita tradito  
more, ut victorem vici Regis tabernaculo exciperent; Hinc in libe-  
ra Republica semper sunt suspectæ, quod cum intelligeret Brutus post  
ejectos Reges, ædes suas eminentes demoliri voluit, ne specie arcis  
offenderet. vid. For. I. 9. 4.

### XXIV.

Denique ad tuendam, augendamq; dignitatem salutare admone-  
dum est medium, si Princeps nonnunquam recedat, & se conspectui  
subducat suorum, cum, quæ semper nobis sunt ob oculos, tandem  
mittant gratiam, contra ex longinquo Majestati major reverentia.  
Tacit. I. Annal. 47. 3. Ita enim Velledæ Germanorum majestas oculta-  
tione stetit; Hanc coram adire & alloqui negatum. Arcebantur aspe-  
ctu quo

et tu quo plus venerationis inesset Tacit. 4. Histor. 65. 8. Persis oculta-  
tio ad magnificentiam in tantum visa est idonea, ut personam Regis  
sub Majestatis specie occultaverint. Justin. I. g. II. ubi vid. Bernegger.  
Et sane δύς Φύλακτον εν συνηθείᾳ τὸ πρὸς δοχαν σεμνόν. In familiā  
ar i enim consuetudine agrē custodias illud opiniois de te augustum,  
continuū enim aspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate  
facit. Liv. 35. 10. adeō ut nonnunquam opus ritato aspiditatuſ fasti-  
dio Auctoritatem absentia tueri. Sueton. in vita Tiberii c. 10. caven-  
dum tamen hic sedulō, nē in tantum nos subducamus omnium con-  
spectui, ut quemadmodum Sardanapalo contigit, odium & con-  
temptum incurramus, & populo ad turbanda omnia præbeamus  
Occasionem.

### XXV.

Varia præterea sunt, quæ Auctoritatem addere possunt Princi-  
pi, veluti ipsa ætas sicuti observat de Alexandro Curt. I. 6. 18. ætas vix-  
tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia etiam ejus operas  
bonestabat. Liberi, cum non legiones, non classes proinde firma impe-  
rii munimenta sint, quam numerus liberorum. Tacit. 4. Histor 52. 2.  
ut id circa Alexander, exclamaverit orbitas mea quod sine liberuſ sumo  
pernitur. Curt. 4.

### XXVI.

Actum hactenus de mediis obtainendæ, vel conservandæ Aucto-  
ritatis, de fine quoque paucula addenda sunt. Atque is, summus,  
Reipublicæ salus, (quam tueri nulli magis creditur convenire Augu-  
stus olim, nec aliud sufficere ei rei, quam Cæsarem. I. 3. ff. d. off. præf.  
vigil.) Proximus, salus ipsius Imperantis, (in qua Reipublicæ quoq;  
salus vestitur. vid. Senec. r. d. clement. c. 3. Apparet id vel ex Contra-  
rio, Contemptu felicit, quem regnorum eversorem supra appellavi-  
mus, suffulti gravi illo Philosophi asserto. s. Polit. etiam Lipsio cum plu-  
ribus aliis adducto lib. 4. c. 11. Attipulatur iterum Tacit. I. Annal. 47.  
Quod aliud subsidium, si Imperatorem spreverint? inquit. Num igitur  
jure in satyram hunc conjecterit ævi nostri censor Philand. à Sitt-  
wald in vision. I. d. rat. stat part. 3. p. 16. qui interrogatus de præci-  
pua Principis virtute, Auctoritatem esse respondit, ejusq; conserva-  
tionem, judicio legentium & velitationi publicæ leponimus. Esse  
quis quoq; Auctoritatis peculiares lustrandi forent, sed charta nos de-

tituit. Breviter exprimit Lips. lib. 4. c. 9. Hæc illa edita arx est, inquit,  
quæ Princeps se vindicat à rebellione, & contemptu. Faciunt huc ista  
Germanici i. Annal. 42. Non mihi unor aut filius patre & Republica  
chariores sunt: Sed illum sua MAJESTAS, imperium Romanum, cæte-  
ri exercitus defendant. Hæc itaque sola sæpè Principes ab insidiis &  
periculis liberavit. Val. M. l. 2. c. 5. Magnif. Dn. Mevius ad Tacit. disc.  
8. thes. 147. Est ergo Majestas imperii salutis tutela. Curt. lib. 7. adeò  
ut ad eam vel vendicandam, vel obtainendam jure arma sumantur, bel-  
lamque suscipiantur. De Augusti temporibus idem Tacit. i. Annal.  
Bellum ea tempestate nullum, nisi adversus Germanos supererat, abo-  
lendæ magis infamia, ob omissum cum Q. Varo. exercitum, quam cupi-  
dine proferendi imperii, aut dignum ob præmium. Quæ in sacris 2. Sa-  
muel. c. 10. vers. 6. leguntur, non alio spectant. Pariter hodiernæ Ger-  
maniæ constitutiones, eo nomine indicta gestave bella docent vid.  
R. A. d. A. 1551. §. So haben d. 1567. §. Wann es nun. Nullibi vero  
quam in Fœderibus, pæceq; pangenda religiosior Auctoritatis ratio ha-  
betur. Paci non gloriose (vulgò ein Disreputirlicher Friede) bellum  
merito præfertur. Pars etiam Auctoritatis, dignitatisq; in titulis est,  
& hinc acerrimè circa illos controvertunt Reges vid, Dn. Freinsb.  
& Dn. Loccen ad Curt. lib. 4. c. 1. v. 7. Ut generaliter concludamus,  
singula enim evolvere non licet, id possumus, quod salva dignitate  
possimus. l. 125. d. V.S. Verè Tiberius rescribebat: Ceteris mortalibus  
in eo stare consilia, quid sibi conducere putent Principum diversam for-  
tem, quibus præcipua rerum ad Famam dirigenda. 4. an. 40. 2. Imò fa-  
ma, & infamia magnorum imperiorum non opinionis & nominis, sed  
actus & efficacia momentis æstimatur. Cf. Boec. comm. i. Annal. 3. §. 3.  
Ita si ullibi, hic verum illud; Intuta quæ indecora. i. bish. 33. Possemus  
plura huc adducere ex publico gentium, privatoq; jure; (quod tantum  
etiam jus dicentis defert Auctoritati, ut à postulando repellat cœcum,  
qui videlicet insignia magistratus videre, & revereri non possit l. 1.  
§. 5. d. post.) Verum hæc & his affinia pro dignitate prosequi, temporis  
ratio non admittit, cum, si quantum hic dici posset, persequi vellentur,  
finis operis non posset inveniri. Quind. in Præm. Igitur

DE O S O L I,  
Qui nobis Principium, Medium, & Terminus, Nov. CIX.  
G L O R I A.

**ULB Halle**  
003 615 200

3



5b.

VDT7



# Farbkarte #13

B.I.G.

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



D. 1654  
IO  
STATE  
IS,  
Amplissimi  
Gryphica  
riis concinnatam  
EXCEL-  
TISSIMI  
MERESCHII  
Toris Ordinarii,  
ceptoris sui  
nini subjicit  
Januarii  
NSTÆDT,  
Resp.  
Æ  
niae Typographi

5

14

12

2

0.